

## Claudius Rutilius Namatianus

### De reditu



### Liber I

.....  
Velocem potius reditum mirabere, lector,  
tam cito Romuleis posse carere bonis.  
Quid longum toto Romam venerantibus aevo!  
Nil umquam longum est, quod sine fine placet.

5

O quantum et quotiens possum numerare beatos,  
nasci felici qui meruere solo,  
qui Romanorum procerum generosa propago  
ingenitum cumulant urbis honore decus!  
Semina virtutum demissa et tradita caelo

10

non potuere aliis dignius esse locis.  
Felices etiam, qui proxima munera primis  
sortiti Latias optinuere domos!

Relligiosa patet peregrinae curia laudi  
nec putat extermos, quos decet esse suos;

15

ordinis imperio collegarumque fruuntur  
et partem genii, quem venerantur, habent,  
quale per aetherios mundani verticis axes  
concilium summi credimus esse dei.

\*\*\*\*\*

Fecisti patriam diversis gentibus unam;  
profuit iniustis te dominante capi;

65

dumque offers victis propriae consortia iuris,  
Urbem fecisti, quod prius orbis erat.

Auctores generis Venerem Martemque fatemur,  
Aeneadum matrem Romulidumque patrem;  
mitigat armatas victrix clementia vires,

70

convenit in mores nomen utrumque tuos;  
hinc tibi certandi bona parcendique voluptas,  
quos timuit superat, quos superavit amat.

Inventrix oleae colitur vinique repertor  
et qui primus humo pressit aratra puer,

75

aras Paeoniam meruit medicina per artem,  
factus et Alcides nobilitate deus:  
Tu quoque, legiferis mundum complexa triumphis  
foedere communi vivere cuncta facis;  
te, dea, te celebrat Romanus ubique recessus  
80  
pacificoque gerit libera colla iugo.

Omnia perpetuos quae servant sidera motus  
nullum viderunt pulchrius imperium.

Quid simile Assyriis conectere contigit armis?

Medi finitimos condomuere suos,

85

magni Parthorum reges Macetumque tyranni  
mutua per varias iura dedere vices.

Nec tibi nascenti plures animaeque manusque,  
sed plus consilii iudicique fuit.

Iustis bellorum causis nec pace superba

90

nobilis ad summas gloria venit opes:  
Quod regnas minus est quam quod regnare mereris,  
excedis factis grandia fata tuis.

\*\*\*\*\*

Adversus surgit Boreas, sed nos quoque remis

400

surgere certamus, cum tegit astra dies.

Proxima securum reserat Populonia litus,  
qua naturalem dicit in arva sinum.

Non illic positas extollit in aethera moles  
lumine nocturno conspicienda Pharos,

405

sed speculam validae rupis sortita vetustas,  
qua fluctus domitos arduus urget apex,  
castellum geminos hominum fundavit in usus,  
praesidium terris indiciumque fretis.

Agnosci nequeunt aevi monumenta prioris,

410

grandia consumpsit moenia tempus edax;  
sola manent interceptis vestigia muris,  
ruderibus latis tecta sepulta iacent.

Non indignemur mortalia corpora solvi:

Cernimus exemplis oppida posse mori.

\*\*\*\*\*

Processu pelagi iam se Capraria tollit;

440

squalet lucifugis insula plena viris.

Ipsi se monachos Graio cognomine dicunt,

quod soli nullo vivere teste volunt.

Munera fortunae metuunt, dum damna verentur.

Quisquam sponte miser, ne miser esse queat?

445

Quaenam perversi rabies tam stulta cerebri,

dum mala formides, nec bona posse pati?

Sive suas repetunt factorum ergastula poenas,

tristia seu nigro viscera felle tument.

Sic nimiae bilis morbum assignavit Homerus

450

Bellerophonteis sollicitudinibus;

nam iuveni offenso saevi post tela doloris

dicitur humanum displicuisse genus.